

ut qui Athenis magister erat, et potens, cujusque doctrinam Academiae gymnasia personabant, fieret peregrinus, atque discipulus, malens aliena verecunde discere, quam sua impudenter ingerere. Denique cum litteras quasi toto fugientes orbe persequitur, captus a piratis atque venundatus, etiam tyranno crudelissimo paruit, captivus, vinctus, et servus. Tamen quia Philosophus, major emente se fuit. Ad Titum Livium lacteo eloquentiae fonte manantem, de ultimis Hispaniae, Galliarumque finibus quosdam venisse nobiles legimus, et quos ad contemplationem sui Roma non traxerat, unius hominis fama perduxit. Habuit illa aetas inauditum omnibus saeculis celebrandumque miraculum, ut, tantam urbem ingressi, aliud urbem extra quaererent. Apollonius, sive ille magus, ut vulgo loquitur, sive philosophus, ut Pythagorici tradunt, intravit Persas, pertransivit Caucasum, Albanos, Scythas, Massagetas, opulentissima Indiae regna penetravit, et ad extremum, latissimo Physon amne transmissis, pervenit ad Brachmanas, ut Hiarcham in throno sedentem aureo, et de Tantalii fonte potantem, inter paucos discipulos, de natura, de motibus siderum, ac dierum cursu audiret docentem; inde per Elamitas, Babylonios, Chaldaeos, Medos, Assyrios, Parthos, Syros, Phoenices, Arabes, Palaestinos, reversus Alexandriam, perrexit Aethiopiam, ut gymnosophistas et famosissimam solis mensam videret in sabulo. Invenit ille vir ubique, quod disceret: et semper proficiens, semper se melior fieret. Scripsit super hoc plenissime octo voluminibus Philostratus.

3. Quid loquar de saeculi hominibus? cum Apostolus Paulus, vas electionis et magister gentium, qui de conscientia tanti in se hospitis loquebatur: an experimentum quaeritis ejus, qui in me loquitur Christus? post Damascum Arabiamque lustratam ascenderit Hierosolimam, ut videret Pertum, et manserit apud eum diebus quindecim (hoc enim mysterio hebdomadis et ogdoadis, futurus gentium praedi-